

66. QUÆST. 4. An Matrimonia cum hæreticis semper censeantur illicita? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 4. dist. 39. q. unic. art. 1. Gonetus tom. 5. tract. 8. disp. 9. art. 5. Reding tom. 8. q. 11. art. 2. Controv. 2. Salmant. tract. 9. cap. 12. punct. 7. Calsianus à S. Eliâ tom. 1. verb. Matrim. cap. 21. §. 13. & 14. Lezana tom. 1. verb. Matrim. num. 17.
67. Ex Subtili Scholâ Scotus in 4. dist. 39. q. unic. Boscius tom. 6. disp. 12. sect. 12. Poncius tract. 11. disp. 49. q. 14. Frassen tom. 4. disp. ult. art. 3. §. 9. Macedo de Clavib. tract. 6. de Matrim. cap. 13. Castillent. tom. 1. in Polyanth. Seraph. verb. Matrim. num. 10. & seqq. Cotonius tom. 1. lib. 5. Controv. 6. à num. 59.
68. Ex Scholâ Eximiâ Carleton tom. 2. disp. 104. sect. 1. & 2. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 11. q. 5. Beccanus 2. 2. cap. 9. q. 5. Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 72. num. 2. Palao tom. 1. tract. 4. disp. 5. punct. 13. num. 10. Layman 4. p. cap. 14. Tambur. tom. 1. lib. 2. cap. 1. §. 5. Mart. Perez disp. 36. sect. 2.
69. Ex aliis D. Bonaventura in 4. dist. 39. q. 1. art. 1. Bassæo verb. Matrim. num. 7. Averfa disp. 1. de Matrim. q. 1. sect. 7. Rebellus p. 2. lib. 2. q. 8. Leander de impedim. disp. 1. q. 1. Gavardi tom. 6. de Matrim. q. 3. art. 8. Diana p. 7. resol. 117.
70. QUÆST. 5. An Matrimonium fidelis cum infideli sit Sacramentum ex parte fidelis? De quo, *hic quest. 1.*
71. QUÆST. 6. An propriâ authoritate possint conjuges divortari? De quo, *dist. 35. quest. 1.*
72. QUÆST. 7. An divortium sit licitum, & quas ob causas? De quo, *dist. 33. quest. 4.*
73. QUÆST. 8. An possint ac debeant conjuges divortari? De quo, *dist. 33. quest. 5.*
74. QUÆST. 9. An adulterium sit semper causa sufficiens ad divortium? De quo, *dist. 33. quest. 9.*
75. QUÆST. 10. An divortium differat à repudio? De quo, *dist. 33. quest. 4.*
76. QUÆST. 11. Ad quorum relationem, & testificationem divortium fieri debeat? De quo, *dist. 33. quest. 4.*
77. QUÆST. 12. An viro petente divortium, teneatur uxor in omnibus casibus excipere contra eum? De quo, *dist. 33. quest. 6.*
78. QUÆST. 13. An, sicut in divortio vir & uxor ad paria censentur; sic in repudio censerentur? De quo, *dist. 33. quest. 6.*
79. QUÆST. 14. An, & cur potius ex fornicatione, quam ex peccato alio divortium fieri debeat? De quo, *dist. 33. q. 6.* DE

DE IMPEDIMENTO COGNATIONIS PRIMO carnalis.

DISTINCTIONIS QUADRAGESIMÆ SYNOPSIS

*Fœdera conjugii prohibens cognatio carnalis,
Rectè à lege quotum durat ad usque gradum.*

Sic incipit: Nunc superest.

Sic terminat: Junguntur.

1. **C**onnectitur hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de impedimento disparis cultûs; sed in præsentî determinat de impedimento cognationis, & primò de carnali: igitur cum superiori distinctione præfens connexionem servat.
2. Consequentia probatur: Prius est agere de impedimentis, quæ reddunt personam illegitimam ad contrahendum cum aliâ diversæ religionis, sive disparis cultûs, quàm de reddentibus personam inhabilem ad contrahendum cum cognatis, & propinquis, eò quòd illa minus, & hæc magis ad propriam accedant stirpem; sed Magister in superiori distinctione de impedimento disparis cultûs, quod reddit personam ineptam, ac illegitimam ad contrahendum cum aliâ diversæ religionis; & in præsentî de impedimento cognationis, quod inhabilem reddit personam ad contrahendum cum cognatis, & propinquis, determinat; ergo rectè inter se hæc consonant distinctiones.
3. Dividitur præfens distinctio in duas præcipuas partes. In quarum primâ Magister dividit cognationem in carnalem, & spiritualem, agendo prius de carnali. In secundâ verò, pulchrè ac disertè detegit quarundam autoritatum de cognationis carnalis gradibus sensum, & rationem.
4. **P**RO PRIMÆ igitur partis ostensione, hæc prima præfigitur thesis: *Cognatio carnalis, sive consanguinitas jure antiquo Ecclesia impedit Matrimonium usque ad septimum gradum; extra litteram verò, provoque jure ad quartum usque gradum auctoritatè dirimit.* Ante cuius

exactam probationem supponimus cum Magistro ex hâc, & sequentibus distinctionibus triplicem esse cognationem, naturalem quippè, sive carnalem, spiritualem, & legalem.

5. Cognatio naturalis, sive carnalis dicitur consanguinitas, quæ est relatio quædam inter duas, aut plures personas consurgens ex naturali propagatione, quarum una procedit ab alterâ, ut filius à patre. Cognatio spiritualis ita oritur ex baptismo, & confirmatione, ut ex nullo alio valeat procedere Sacramento. Cognatio tandem legalis duntaxat nascitur ex adoptione alicujus in filium, ut suis in locis dicemus.

6. Prima conclusionis pars probatur primò à Magistro ex Divo Gregorio lib. 12. Regist. Epist. 31. sic alloquente: *Progeniem suam unumquemque usque ad septimam servare decernimus generationem.* Sed ex eò quòd quis teneatur, progeniem suam servare in septimam generationem usque perbellè infertur, cognationem carnalem, sive consanguinitatem Matrimonium impedire usque ad septimum gradum: igitur cognationis carnalis prohibitio usque ad septimum proculdubio protenditur gradum.

7. Secundò probat Magister ex Nicolao Papâ dist. 35. q. 1. & 2. cap. *De consanguinitate*, dicente: *De consanguinitate sua nullus uxorem ducat usque post generationem septimam, vel quousque parentela cognoscitur potest.* Sed dum de consanguinitate suâ nullus uxorem ducere potest usque post generationem septimam, cognatio carnalis expressè Matrimonium impedit usque post gradum septimum: ergo affinitas ex propinquitate carnali proveniens, quæ est consanguinitas, reverà ex jure antiquo pontificio Matrimonium dirimit usque ad septimum gradum.

8. Tertio probat ex Concilio Lugdunensi ibidem, cap. *Nulli*, sic præfatam decernente affinitatem: *Nulli ex propinquitate sui sanguinis usque ad septimum gradum uxores ducant.* Ergo si ex propinquitate sui sanguinis ducere uxorem nulli licet, juxta jus Ecclesiæ antiquum, non incongruè deducitur, cognationem carnalem, sive consanguinitatem jure antiquo canonico dirimere Matrimonium usque ad septimum gradum.

9. Sed oppones primò: Nulla est efficax ratio, aut sufficiens congruentia, ut consanguinitas, sive cognatio carnalis impediât Matrimonium usque ad septimum gradum inclusivè, & non ultra, nec citra: ergo dum Gregorius, Nicolaus, & Lugdunense Concilium statuerunt, affinitatem proveniente ex propinquitate carnali, sive consanguinitate dirimere Matrimonium usque ad septimum gradum inclusivè, & ultra non processerunt, nec citra steterunt, incongruè, & immaturè hoc taxasse gradus videtur.

Ref-

10. Respondetur cum Seraphico Doctore negando Antecedens, & Consequentiam. Nam pro determinatâ Matrimonii prohibitione in his septem gradibus, non solum congruentia, verum & sufficiens abundansque ratio deprehenditur. Primò litteraliter; quia usque ad Gregorii, Nicolai, & Lugdunensis Concilii auspiciatissima tempora, satis benè consanguinitates supputari poterant, & homines sese consanguineos reputabant; sicque nulla fuit necessitas, sive occasio usque ad id tempus, ut Ecclesia decerneret, affinitatem ortam ex propinquitate carnali dirimere usque ad septimum gradum.

11. Secundò moraliter; quia in septenario numero universitas totius vitæ absolvitur, & separantur à consanguineis suis homines usque ad septimum gradum, ut significari valeat, quòd omni in tempore vitandus sit amplexus illicitus; & omnes sint habentes uxores, tanquam qui non habent; nec non sint conjuncti, ita ut etiam separati arbitrantur.

12. Tertio allegoricè; quia sicut corpus humanum quatuor constat humoribus, ejusque anima triplici virtute, aut potentiâ pollet, ita ut aptè possimus capere, quòd vir debeat esse uxoris, & uxor tota viri; nec non proles ab eis procedentes, ut ritè & validè copulari possint, debeant per gradus septem elongari. Ergo pro determinatâ graduum prohibitione à Gregorio, Nicolao, & Lugdunensi Concilio definitâ, satis congrua apparet ratio.

13. Oppones secundò: Cognatio carnalis dirimit Matrimonium inter consanguineos in transversali constitutos lineâ usque ad quartum gradum inclusivè ex novo Ecclesiæ jure; sed ex antiquo ejusdem Ecclesiæ jure dirimit consanguinitas Matrimonium in septimum usque gradum inclusivè: ergo Gregorius, & alii Sancti Patres in graduum prohibitionem pro Matrimonio contrahendo immaturè, & abrupte processerunt.

14. Respondetur concessâ Majori, & Minori, negando Consequentiam. Gregorius enim, & alii Sanctissimi Patres Lugdunensis Concilii non ex abrupto, & immaturè, imò prudenter, & rationabiliter Matrimonii prohibitionem inter consanguineos usque ad septimum statuerunt gradum; nec minùs benè hoc fuit revocatum statutum tempore Innocentii III. in Concilio Lateranensi Quarto, Can. 50. Non ergo fuit improvidè cassatum præfatum statutum, sicut nec oppositum de novo conditum; quia quòd tempore primævo expediens erat, jam statui nostro, propter majorem imperfectionem, quæ est in nobis, gravioraque pericula, quæ contingere valent, non congruit.

15. Oppones tertio: In veteri lege cognatio carnalis, sive affinitas

Tom. V.

N

or-

orta ex propinquitate solum ad secundum gradum usque impediēbat Matrimonium, ut constat expressē ex cap. 18. Levitici; sed ferē in his omnibus lex vetus adhærec novæ: ergo Ecclesia modò non potest alicui prohibere Matrimonium infra secundum gradum.

16. Respondetur negando Consequentiam. Nam in veteri lege Deus prohibuit per se Matrimonium inter consanguineos usque ad secundum gradum; modò prohibet per Ecclesiam, quia hæc autoritate sibi divinitus datâ inhibet consanguineos, ne possint ducere uxores usque ad septimum gradum ex jure antiquo, & ex novo usque ad quartum inclusivè. Quare ergò Ecclesiæ hanc Deus super Matrimonium dederit auctoritatem, nostri muneris non est.

17. Oppones quartò: Quantumcunque statuat Ecclesia, quòd baptizatus careat baptismate, si semel baptizatus est, nequit jam baptismata impedire Ecclesia: ergo quantumcunque prohibeat Ecclesia, quòd consanguinitate affines non contrahant in hoc aut illo gradu, tamen si de facto contrahant, non poterit Ecclesia impedire Matrimonium: ergo nec illud inter consanguineos prohibere ultra secundum gradum.

18. Respondetur negando Consequentiam, & paritatem. Quia baptismi institutionem Deus per seipsum immediatè ordinavit, confirmavitque; ideòque nequit statuere Ecclesia, quòd baptizatus careat baptismate, si semel baptizatus est: At pro licito ac valido Matrimonio contrahendo, commisit Deus Ecclesiæ personarum legitimitatem, eò quòd inter virum, & fœminam perficiatur Matrimonium, & Ecclesia plenitudine jurisdictionis super utrumque potiatut. Undè debite statuit Ecclesia, consanguineos non esse personas illegitimas ad contrahendum Matrimonium, dummodò à quarto aut septimo non extrahantur gradu; non verò baptismate carere, qui semel sunt baptismali lavacro regenerati.

19. Oppones quintò: Etsi Matrimonium contrahatur temporibus prohibitis ab Ecclesiâ, reverà est verum ac validum Matrimonium; sed consanguinitatis gradus nullâ aliâ vi, & virtute ad impediendum Matrimonium pollent, nisi per Ecclesiæ statutum: ergo adhuc hæc graduum consanguinitatis prohibitione stante, poterit verum ac validum contrahi Matrimonium.

20. Respondetur negando Consequentiam, & simile. Nam, dum prohibetur ab Ecclesiâ, quòd Matrimonium in iis non contrahatur temporibus, non interdicitur simpliciter, & absolute, nec ex vi præfati decreti redduntur illegitimæ personæ ad contrahendum; sed solum tali astringuntur præcepto, ut non possint licite sive absque peccato

contrahere; & ideò talibus poena semper imponitur: Ast, cum Ecclesia simpliciter, & absolute prohibeat, ne consanguinei contrahant usque ad quartum gradum inclusivè, ipsosque reddat inhabiles ad contrahendum, si intra hos contrahant gradus, eorum Matrimonium irritum evadit, & nullum.

21. Secunda Conclusionis pars, nempe, quòd cognatio carnalis, sive consanguinitas solum dirimat Matrimonium secundum novum Ecclesiæ jus ad quartum usque gradum inclusivè, etiam extra litteram sic obiter declaratur. Ab exordio ergò Ecclesiæ usque ad Gregorii Magni tempora (qui genti Anglorum in quarto, & quinto gradibus contrahere concessit, ad tempus hoc fieri voluit, cum recentes essent in fide) consanguinitatis impedimentum viguit usque ad septimum gradum, eluxitque pro totâ Ecclesiâ ad Innocentium III. usque, qui in generali Lateranensi Concilio IV. Can. 50. decrevit, præfatum impedimentum solum comprehendere consanguineos usque ad quartum inclusivè gradum: ergo ex novo Ecclesiæ jure solum usque ad quartum dirimit gradum.

22. Quòd autem consanguinitas, sive affinitas ex sanguinis propinquitate proveniens, solum usque ad quartum gradum debeat Matrimonium retardare, unâ, aut aliâ etiam extra litteram congruentiâ suadere tentamus. Primò: Quia sicut consanguinitas ex propagatione, sic ex semine propagatio ortum ducit; cum ergò semen in se præcontinet quatuor humorum, elementorumque naturam, non incongrue consanguinitas ad quartam solum generationem protenditur: ergo quemadmodum corpus quatuor constat elementis, ita quatuor gradibus distare oportet, qui debent carnaliter commisceri.

23. Secundò: Quia lex Evangelica excellentiori superat perfectione legem Mosaicam, quam lex Mosaica perfectione excedat naturæ legem; sed lex Mosaica unum addidit gradum super legem naturæ, ut constat ex Levit. cap. 18. ergo lex Evangelica super Mosaicam legem duos debuit superaddere gradus, ut Evangelii justitia non solum superet justitiâ legis, verum & superexcedat; sed lex scripta sive Mosaica ad secundum usque gradum impediēbat inter consanguineos Matrimonium: ergo Evangelii lex solum poterit usque ad quartum inclusivè retardare gradum.

24. Tertio: Quia propter multitudinem consanguineorum, & paucitatem dierum vix poterat quis supputare consanguineos usque ad septimum gradum: Undè, tam malum ibi imminebat periculum, ut passim infra gradus prohibitos homines conjungerentur. Talis enim

neccitas tempore primavæ, vel nascens Ecclesiæ non fuit; tùm quia homines erant longioris vitæ; tùm quia minoris generationis; igitur Matrimonium inter consanguineos ad quartum usque gradum inclusivè tantùm protendi, appositè & rectè statuit, & ordinavit Ecclesia. Audi modo Concilii Generalis Lateranensis iudicium: *Non reprehensibile iudicari; si secundùm varietatem temporum statuta quoque varientur humana, præsertim cum urgens neccitas, vel evidens utilitas exposcat.* Et causam ob quam primum fuit statutum cassatum, & hoc de novò ab Ecclesiâ conditum.

25. Sed oppones: Non est consonum recto ordini retrogradoferrì cursu, sed semper ultra viriliter progredi; sed jus antiquum Ecclesiæ consanguinitatem perduxit in septimum gradum usque: ergo dùm jus ipsius Ecclesiæ novum ad quartum eam reducit gradum, retrocedit; sed qui aspicit retrò, non est aptus Regno Dei ex Lucæ cap. 9. ergo Patres Concilii Lateranensis Quarti non benè consanguinitatis impedimentum statuerunt.

26. Respondetur, Majorem esse veram de his, quæ ad perfectionis fastigium gressus dirigunt, ubi non consonat recto ordini retrocedere, sed semper ultrò progredi, juxta illud: *Ibunt de virtute in virtutem;* at in iis, quæ sunt rigoris temperati, possunt, & debent retrocedere, & non semper ultra procedere; præsertimque dùm condescendere oportet infirmitati, & imperfectioni hominum; quemadmodùm in hoc casu Ecclesia censet tolerare opportunum, & statutum illud antiquum per novum moderari.

27. Ulteriùs, varium supputandi septem consanguinitatis gradus modum in textùs litterà perbellè adducit Magister. Primò, Isidorus lib. 9. Ethymolog. cap. 5. & habetur dist. 35. q. 5. cap. *Series*, solum sex recenset consanguinitatis gradus, eò quòd à filiis sive fratribus, & non à patre primum supputet gradum; cum potiùs à trunco sive stipite, aut patre primam graduum consanguinitatis deberet ducere lineam.

28. Sic graduum textit Isidorus seriem. Primò adducit fratres, ita ut ipsi sint veluti truncus aut stipes, metaphorà ductà à stipite arboris, à quò egrediuntur ramusculi isti, scilicet: Nepos & neptis, primus gradus: Pronepos & proneptis, secundus: Abnepos & abneptis, tertius: Adnepos & adneptis, quartus: Trinepos & trineptis, quintus: Trinepotis nepos, & trineptis neptis, sextus: igitur Isidorus sex tantùm recenset gradus, quia truncum sive stipitem inter gradus consanguinitatis non annumerat.

29. Secundò, apud Magistrum alii aliter supputat consanguinitatis

tis

tis gradus. Illi etenim qui septem constituent gradus, truncum sive stipitem inter gradus computant. Alii patrem in primo gradu, filios in secundo ponunt. Alii demùm primum gradum filios appellant, negantes, gradum cognationis carnalis inter patrem & filium esse, cum ambo una sint caro. His prælibatis de variâ ac diversâ graduum consanguinitatis, sive cognationis carnalis supputatione à Doctoribus traditâ in textùs litterà.

30. Magister providè ac discretè statuit; nullam in re discretionem esse in graduum supputatione, sed solum penes diversum computandi modum. Nam qui truncum sive stipitem in annumeratione comprehendunt, septimum gradum appellant personas, quæ in sexto inventiuntur gradu, secluso trunco sive stipite.

31. Hi sunt ergò præfati septem gradus, incluso trunco sive parente: Pater, filius, nepos, pronepos, abnepos, adnepos, trinepos; undè in hoc calculo, trinepos est in septimo gradu; si verò patrem sive stipitem non annumeres, ut in Isidori calculatione, eadem persona trinepotis in sexto inventitur gradu.

32. Sic consentaneè iis perçenset in textùs litterà gradus Zachariæ Papa dist. 35. q. 1. cap. *Parentela*, his expressis verbis: *Parentela gradus taliter computamus: Ego & frater meus una generatio sumus, primumque gradum effecimus. Rursus, filius meus, & fratris mei filius secunda generatio sunt, & secundum gradum faciunt; atque ad hunc modum cætera successiones.* Ergo nullum in re apparet iurgium, sed solum secundum diversum supputandi modum inter eos, qui consanguinitatis gradus ad sextum, aut septimum protendunt numerum.

33. Ex hætenùs appositis, nonnulla pro pleno distinctionis captu deducimus. Et ut primò quis facile comprehendere possit, quoto consanguinitatis gradu una persona distet ab aliâ, triplicem lineam sive regulam sedulo aptamus. Quædam enim est ascendentiùm, quædam descendentiùm, & transversaliùm quædam. Secundum lineam ascendentiem sic computantur gradus: Pater & mater, avus & avia, proavus & proavia, atavus & atavia. Secundum lineam descendentiem: Filius & filia, nepos & neptis, pronepos & proneptis, abnepos & abneptis. Secundum lineam transversalem: Duo fratres, & filii duorum fratrum, pronepotes duorum fratrum, & ibi est status.

34. Undè in rectâ lineâ, quæ ascendentiùm, simulque descendentiùm passim appellatur, tot sunt computandi gradus, quot numerantur personæ, exceptâ primâ, quæ per quandam metaphoram truncus sive stipes non illepidè numeratur. Itaque filius est in primo gradu consan-

gui-